

dicto Anno c. 1510c. XIV. d. XX Februarii promulgato, omnes suos subditos interdicebat. Auctor est Theobaldus, contra Anab. c. IX. Palinodiam cecinisse Methum, quam tamen ingenuam fuisse, ipse non absque ratione subdubit. Quod si vero fides habenda M. Nicolao Stengero, resipuit tandem, morte commotus Esaiae Stifelii, quem immortalem credidit. De hac enim certior factus, in haec dicitur erupisse verba: *Was soll ich von der gestorbenen Unsterblichkeit halten.* Pfeifferus, in *Ded Anti-Chil.* § 18. nec non Colbergius, in *Christ. Platon. P. I. c. V.* §. 3. p. 227.

§ XXXVI. *MARIA von METHEN*, erat Esaiae Stifelii soror, & Ezechielis Methii, paullo ante commemorati, mater, cum quibus eosdem fovebat errores. Facta inquisitione, Koenigsteinium captiva est abducta, sed in libertatem data, opera Andreae Merkenii, Theologi Magdeburgici, ad errorum agnitionem, & retractationem, pervenit.

§. XXXVII. De *THOMAE MUNZERI*, cuius res gestas Sleidanus, Wigandus, Theobaldus, alii, copiosius persecuti sunt, Palinodia contraria leguntur iudicia. Surius ad Annum c. 1525 p. 141. ex animo Munzerum doluisse, & errores revocasse, commemorat. Idem scribit in *Hist. Lutheranismi* Lud. Maimburgius. Sed si in eius rei inquiramus causas, ideo tam benigne de Munzero sentiunt, quod S. Coenam sub una specie sumiserit, & non obscure nomen suum inter Pontificios profesus sit. Id disertis verbis ad Lutherum prescripsit Ruhelius, cuius literas Seckendorffius exhibet, in *Hist. Luther. Postquam enim commemoraverat, quomodo Munzerus in carcere suo, & in ipso Satanas, ut impius Tyrannis adularetur, non solum errores suos revocaverit, & sacramento sub una specie usus, fidem Romanam professus, & totus Pontificius factus sit, haec tandem subiicit: Hoc, inquit, et si bonam speciem habeat, veneno non caret, ut ex eo iudicabis, quod in omnibus se errasse agnovit, id est, quod vera etiam Evangelii dogmata recantaverit. Quam narrationem non est, quod in dubium vocemus. Vixit namque Ruhelius iisdem in locis, ubi haec omnia cum Munzero gesta sunt. Et aegre sane mihi persuadeo, ingenuam potuisse esse errorum detestationem, si qui-*

E

dem